

QUÆSTIO XVII.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM

IN CHRISTO QUANTUM AD ESSE.

Postquam D. Thomas in præcedenti quæstione egit de his, quæ sequuntur ad unionem in Christo, quantum ad esse, et fieri, modo agit de unitate in communi; hoc est ut contraponitur ad speciales perfectiones, scilicet de gratia, et scientia, de quarum unitate, vel pluralitate in propriis locis egit, et sic de aliis. Et quia in quolibet vivente distinguendum est esse, et operari; et in operari distinguenda est potentia operativa, et ipsa operatio, ideo S. Thomas agit de unitate quantum ad esse, et quantum ad operationem in Christo, et hoc determinat in tribus quæstionibus; in hæc scilicet, et in duabus sequentibus; et quia esse est prius quam operari, prius agit de unitate quantum ad esse, et hoc determinat per duos articulos.

ARTICULUS I.

Utrum Christus fit unum, vel duo?

I. Prima conclusio: Christus est unus, et non plures, vel duo masculine.

II. Secunda conclusio: Christus est unum, et non plura, vel duo neutraliter.

III. Pro explicatione notandum, quod quamvis D. Thomas utrumque jungat eadem propositione, tamen quia non est æqualis convenientia in utraque, clarius explicabitur veritas distinguendo duas conclusiones.

IV. Igitur prima conclusio D. Thomæ est de fide, definita per septem concilia, scilicet Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, Lateranense, Nyssenum quintum, et sextam Synodum generalem; omnia hæc Concilia definiunt conclusio-

nem D. Thomæ quam etiam Apostolus I ad Timotheum II tradit. Similiter Eutychieus papa, et Leo papa, et communiter sancti patres Ambrosius, Augustinus, Athanasius, Hilarius, Fulgentius, Anselmus, Cyrillus Alexandrinus quos communiter adducunt commentatores D. Thomæ hic Medina, Suarez, Vazquez, Nazarius, et alii, et tamquam de fide admittitur ab omnibus scholasticis, tam antiquis, quam modernis.

V. Ratio autem theologica est, quam adducit D. Thomas in præsentem articulo in corpore, scilicet, quod natura humana in abstracto non prædicatur de Christo; non enim est verum dicere, quod: Christus est humanitas, quamvis verum sit, quod: Christus est deitas, quia hoc est proprium naturæ divinæ, ut contraponitur ad omnem naturam creatam, quod sola divina potest prædicari abstracto de concreto;

ergo unitas, vel pluralitas in Christo non est accipienda secundum naturas, sed solum secundum supposita, vel personas. Patet consequentia, quia non potest Christus dici unus, vel plures nisi secundum quod posunt de illo prædicari unus, vel plures, quia unumquodque dicitur tale, in quantum tale de illo prædicatur, et si non prædicatur, non est tale; sed sic est, quod humanitas non prædicatur de Christo; ergo propter illam non potest dici plures ut distincta est a deitate: solum ergo in concreto ratione suppositi prædicatur; ergo secundum diversitatem, vel unitatem personæ, vel suppositi erit unitas, vel pluralitas in Christo.

VI. Hæc ratio est adeo efficax, ut neque hæretici illam negaverint; solum Durandus et Vazquez in dubio sequenti adducendi impugnant illam.

VII. Ex hac ratione infert D. Thomas in fine corporis, quod quidam posuerunt duo supposita in Christo, et unam personam, et isti dicebant, quod Christus erat duo neutraliter, et unus masculine; alii vero Nestoriani ponebant duo supposita, et duas personas, et consequenter dicebant, quod Christus non solum erat duo neutraliter, sed etiam masculine. Fides catholica ponit solum unum suppositum, et unam personam, et ideo infert S. Thomas, quod secundum veritatem fidei Christus est unus, et est unum.

VIII. Si autem Verbum assumeret duas humanitates restat inquirere, quid dicendum. Vazquez hic disp. LXX, cap. II, num. X dicit, quod si pluralitas referatur ad naturam esset plures, vel duplex Christus; si ad suppositum, unus, et quod possit accipi pro natura ipse tenet, juxta suam doctrinam, quod nomina concreta possunt supponere pro natura, et ideo dicit, quod posset dici in illo

casu plures Jesus, plures Christi, plures Emmanueles; et sic de aliis nominibus Christi, quia esset plures homines.

IX. Sed hæc doctrina est tam falsa, sicut ejus fundamentum, sicut diximus quæstione præcedenti, articulo nono, et sequentibus. Est enim verum, quod in tali casu Christus esset unus homo, ut docet S. Thomas supra quæst. III, art. VII ad secundum, et nos ibi, et I part. circa quæstionem XXIX, regula II. Et ad hominem contra Vazquez potest fieri argumentum: Si in tali casu propter duas naturas esset Christus duplex Jesus, et duplex salvator, et duplex homo, quia potest homo accipi pro natura, et quælibet natura facit unum, et duæ naturæ faciunt duos; ergo de facto modo quando non est nisi una natura in Verbo potest accipi pro illa, et pro illa erit unus, et pro persona, seu divinitate erit alius, sicut est alia natura humana, et alia natura divina, quia non est major ratio, quod duæ humanitates facerent duos, quam quod divinitas, et humanitas faciant duos; et sic in casu quo assumeret duas humanitates, esset alius propter divinitatem, quia non est minoris perfectionis divinitas, quam humanitas, et sic essent tres in tali casu. Sed de facto dicere, quod est duplex, vel duo, est contra fidem catholicam, ut ipse Vazquez concedit: ergo illa sua doctrina non potest cum veritate fidei stare.

X. Nec valet si dicat, quod veritas fidei loquitur ratione suppositi, quod de facto est unum, contra enim est, si probabiliter potest accipi terminus pro natura, et propterea probabiliter potest poni alietas in Christo ratione naturæ, probabiliter de facto posset accipi pro natura; ergo non erit de fide, quod non accipitur pro natura, et si est de fide, quod est unus, est de fide, quod non accipi-

tur pro natura; ergo non potest esse verum, quod potest accipi pro natura, quia non potest esse probabile, quod est contrarium fidei, et hæretici possent uti hac doctrina Vazquez, quod accipitur pro natura, et quod in tali doctrina infirmatur definitio fidei, quæ non est contraria regulis dialecticis, nec potest dependere ex principio solum probabili. Sicut ista: Christus in quantum homo est creatura, vel Deus, vel: Christus incipit esse, vel: Est creatura, non sunt de fide absolute in aliquo sensu, ut visum est quæstione præcedenti propter diversam acceptionem pro natura, vel supposito; ergo ista: Christus est unus, non erit magis de fide propter eandem rationem contra Concilia, quæ absolute illam definiunt.

DUBIUM UNICUM,

CIRCA SECUNDAM CONCLUSIONEM.

Utrum Christus fit plura, vel duo neutraliter; et aliud, et aliud?

XI. Pro explicatione notandum, quod in duplici sensu potest disputari hoc dubium. Primo, ratione suppositi, et in hoc sensu solum Nestoriani, et alii hæretici, qui ponunt duplex suppositum, ut refert S. Thomas tenent partem affirmativam: secundo, non ratione suppositi, sed ratione naturarum, quia quælibet est aliquod ens, et sic potest esse plura entia neutraliter, et aliud, et aliud ens, quod tetigit S. Thomas in aliquibus argumentis.

XII. Prima sententia est, quod Christus non potest dici unum, nec plura neutraliter; ita Durandus in III, distinct. VI, quæst. I, num. XIII. Eius fundamentum est regula grammatical, quæ asserit, quod adjecti-

vum debet poni in eodem genere, quo substantivum, et cum Christus sit masculini generis, et unum, vel plura sint generis neutri, non possunt de Christo prædicari neutraliter, quia hæc regula debet servari, sive adjectivum ponatur ex parte prædicati, et substantivum ex parte subjecti, sive utrumque ex parte ejusdem extremi.

XIII. Secunda sententia asserit, quod Christus est plura, vel duo neutraliter. Fundamentum est ex auctoritate plurium sanctorum patrum, asserentium, quod Christus est aliud, et aliud; sed aliud, et aliud sunt duo, vel plura; ergo Christus poterit dici duo, vel plura neutraliter. Sancti autem adducuntur a S. Thoma in præsentis articulo, in argumentis. Alios multiplicat Suarez et Vazquez asserentes eandem propositionem, quod Christus est aliud, et aliud.

XIV. Ratione etiam probatur hæc sententia, quia in Christo est humanitas, et divinitas; sed humanitas est aliquid, seu aliquod ens, et divinitas etiam, et non sunt idem ens; ergo Christus est illa duo entia, vel illa plura, scilicet humanitas, et divinitas.

XV. Confirmatur, quia si propter aliquam rationem Christus non esset duo, vel plura, est quia non potest prædicari humanitas in abstracto de Christo; sed hæc ratio non est efficax, instatur enim, quia album, verbi gratia, non est unum simpliciter, ut habet philosophus VII metaph. VI cap. et tamen album non est albedo; ergo ad hoc ut sit plura non conducit, quod forma in abstracto prædicetur de illo; sed sufficit habere diversas naturas.

XVI. Tertia sententia asserit, quod licet Christus non sit duo, est tamen aliud, et aliud. Quam sententiam ex antiquis tradiderunt Richardus in III, distinct. VI; Paludanus

ibidem; Waldensis libro primo doctrinæ fidei, cap. XXI: illam sequitur Vazquez hic capit. III, numer. XIV, et probabile judicat Suarez in commentario hujus articuli.

XVII. Fundamentum primum hujus sententiæ est auctoritas sanctorum. Ita videntur loqui Augustinus, Anselmus, Cyrillus et Damascenus, qui dicunt, quod Christus est aliud, et aliud, vel quod Christus est hoc, et illud, in locis citatis a D. Thoma in argumento secundo, et in solutione, et ab aliis modernis hic: alii vero sancti non ita expresse loquuntur, sed solum dicunt, quod in Christo est aliud, et aliud, quæ est distincta propositio, et de qua non est dissensio.

XVIII. Secundo, probatur hæc sententia auctoritate S. Thomæ supra quæst. II, art. III ad primum ubi inquit: « Quod sicut accidentalis differentia essentialis facit aliud; unde sicut quod dicitur alterum, et alterum in creaturis, non significat diversitatem suppositi, sed solum diversitatem formarum accidentalium, ita quod dicitur Christus aliud, et aliud non importat diversitatem suppositi, vel hypostasis, sed diversitatem naturarum. » In quo loco Suarez, et Vazquez tenent, quod S. Thomas docuit contrariam sententiam doctrinæ hujus articuli, quia ibi dixit, quod: « Aliud et aliud in Christo, non importat diversitatem suppositi, sed naturarum, » in præsentis vero ad secundum et tertium et septimum docet, quod aliud, et aliud refertur ad suppositum, et non ad naturam.

XIX. Tertio, ratione arguit Vazquez: Quia Christus est Deus, et homo; sed Deus, et homo est aliud, et aliud; ergo Christus est aliud, et aliud. Minor patet, quia humanitas est aliud quam divinitas; et sic coin-

cidit hæc ratio cum ratione præcedentis sententiæ.

XX. Potest confirmari, quia sicut alterum significat diversitatem in formis accidentalibus, ita aliud in formis substantialibus, ut tradit Porphyrius capite de differentia; sed in Christo sunt duæ formæ substantiales, humana scilicet, et divina; ergo Christus est aliud, et aliud, quod est septimum argumentum S. Thomæ in præsentis.

XXI. Quarto, arguit Suarez: In divinis unum refertur ad naturam, non ad suppositum, propter quod plures personæ dicuntur unum, et non dicuntur, aliud et aliud, quia non est distinctio in natura, ut bene Damascenus allatus a S. Thoma loco citato supra quæst. II, art. IV ad primum, et inquit, quod e contrario est in salvatore, scilicet, quod aliud et aliud sunt ea ex quibus salvator est, et hoc propter diversas naturas, divinam scilicet et humanam, quæ sunt in Christo; quamvis enim adjective suppositum Filii possit dici aliud suppositum a supposito Patris, non tamen substantive potest dici aliud absolute, sed est alius, et alius.

XXII. Prima conclusio: Supposita veritate mysterii, quod in Christo est unum suppositum, et duplex natura falsum est, quod propter duas naturas Christus dicatur plura, vel duo neutraliter, sed solum debet dici unum. Hæc conclusio est contra duas sententias primam, et secundam, sed est D. Thomæ in hoc articulo. Sequuntur ipsum tam antiqui, quam moderni doctores communiter, et omnes Thomistæ, et etiam in illa conveniunt Suarez, et Vazquez. Probatur ratione D. Thomæ hic in corpore jam allata, quæ sic potest applicari ad hanc conclusionem. Solum potest poni, quod duo, vel plura neutraliter prædicentur de Christo, aut ex parte suppositi,

aut ex parte naturæ: ex parte suppositi non, quia hoc jam est exclusum, eo quod est ponere plura supposita, sicut Nestoriani; et modo non loquimur in hoc sensu. Supposita ergo fide de unitate suppositi loquitur conclusio, quod propter naturas non potest dici plura, vel duo, hoc autem probat efficaciter ratio D. Thomæ: Si propter duas naturas posset Christus dici duo, esset quia duæ naturæ possent dici de Christo, sed non possunt dici; ergo propter illas Christus non potest dici duo. Probatur minor: Licet divinitas posset prædicari de Christo, humanitas tamen non potest prædicari, quia hæc est falsa: Christus est humanitas, et ratio est, quia abstractum non prædicatur de concreto secundum regulam logicalem. Et fundamentum regulæ est, quia concretum includit aliquid, quod non includit abstractum, et sicut pars non prædicatur de toto propter hanc rationem, quia falsa est ista: Homo est anima, ita neque abstractum de concreto; ergo ista est falsa: Christus est humanitas: ergo illud ens, quod est humanitas etiam non potest prædicari de Christo. Patet ista consequentia: Illud ens, quod est humanitas est tam incompletum, sicut ipsa humanitas, alias humanitas non esset illud, quia humanitas est quid incompletum, et sic sicut humanitas non prædicatur de Christo, qui est ens completum, ita illud ens, quod est humanitas non prædicatur de Christo, quia est contradictio in terminis, quia est dicere, quod ens completum est ens incompletum; sequitur enim quod Christus sit ens completum, et non completum.

XXIII. Vazquez tamen in capite tertio, postquam hanc rationem adduxit ex D. Thoma, et ex Soto inquit hac ratione nihil probari, et convincitur argumentis pro secunda sen-

tentia allatis, cum tamen ipse solvat eadem argumenta in fine hujus capituli.

XXIV. Intendit tamen Vazquez conclusionem probare alia duplici ratione. Prima ex auctoritate, scilicet, ex epistola Concilii Alexandrini approbata in Concilio Ephesino, ubi dicitur: «Ne in duo dividamus unum Christum,» et expendit ly in duo intendens, quod non sumatur in casu accusativi masculine, sed neutraliter. Lorca tamen hic disp. LXVII, n. IV inquit, quod hoc testimonium falso allegatur, nam in nullo codice antiquo, aut moderno legitur duo, sed in duos.

XXV. Secunda ratio Vazquez est quod plura conjuncta in unum non possunt dici plura absolute, sed unum, sicut Petrus absolute non dicitur plura, quamvis constet ex pluribus. Hæc ratio inefficax est si non reducitur ad rationem D. Thomæ, quia de hoc est disputatio: Si unum continens plura potest dici plura. Hoc debebat probare Vazquez, et non probat, et hoc probat ratio D. Thomæ, quia abstractum non prædicatur de concreto, quia incompletum non prædicatur de completo, ut explicatum est.

XXVI. Dices: Quare in hac propositione: Humanitas est ens, ly ens accipitur pro ente incompleto, et in hac: Christus est ens, ly ens accipitur pro ente completo, si quidem in utraque ens æqualiter ponitur ex parte prædicati, et sine aliqua limitatione in una magis, quam in alia.

XXVII. Respondetur, quod cum ens sit prædicatum transcendens imbibitum in ultimis differentiis de omni inferiori ad ens prædicatur; sed eo modo, quo inferiora participant ens, quia eo modo prædicatum vere affirmatur de subjecto quo convenit, et reperitur in subjecto; cum autem aliqua inferiora ad ens sint

completa, et alia incompleta, sicut modi, etc. prædicabitur quidem ens de illis quatenus ab illis participatur, et transcendenter imbibitur in illis. Cum autem modus, et differentia, verbi gratia (et idem est de aliis) sint secundum suas proprias rationes quid incompletum, habebunt esse incompletum, et sic ens ut transcendenter inclusum in illis est incompletum. Est ergo ratio, quod prædicatum limitatur a subjecto, et sic juxta naturam subjecti ens positum ex parte prædicati erit completum, vel incompletum, et quia Christus est quid completum, et humanitas quid incompletum, ideo ens respectu Christi accipitur ut completum, et respectu humanitatis ut incompletum propter discursum factum.

XXVIII. Secunda conclusio: Christus non est aliud et aliud, hoc et hoc, vel hoc et illud. Hæc est contra tertiam sententiam, et probatur eadem ratione, qua præcedens sic applicata: Christus est ens completum; ergo non potest dici aliud, et aliud. Probatur consequentia. Aliud et aliud determinant divinitatem, et humanitatem; ergo licet sit verum, quod est aliud, quod est divinitas, non est aliud, quod est humanitas; ergo falsum est, quod est illud, quod est humanitas; ergo simpliciter est falsa propositio. Probatur: Hæc est falsa: Christus est humanitas; ergo etiam hæc est falsa: Christus est illud, vel aliud, quod est humanitas, quia est idem.

XXIX. Confirmatur: Quando dicitur Christus est aliud, et aliud absolute, ly aliud et aliud, aut designant entia completa, aut incompleta, aut unum completum, et aliud incompletum; sed in quocumque sensu propositio est falsa; ergo. Probatur minor: Si dicatur designare entia completa imprimis est falsum, quia licet unum sit ens completum

scilicet divinitas, quia est Deus, tamen aliud quod est humanitas non est ens completum. Et secundo, quia sensus esset, quod Christus est duo entia completa, quod est falsum, quia cum Christus sit unus, ut est de fide, quod est unus Christus expresse enim habetur in epistola Concilii Alexandrini approbata in Concilio Ephesino, quæ est decimum apud Cyrillum, ubi dicitur: «Ne dividamus unum Christum in duos, vel in duo,» in hac propositione, quod esset duo entia completa, esset dividere unum Christum in duos, vel in duo.

XXX. Si autem sunt incompleta, licet sit verum pro humanitate, quæ est incompleta, est falsum pro deitate, quæ non est incompleta. Si tandem unum sit completum, et aliud incompletum, adhuc est falsa tota propositio, quia est copulativa, cujus una pars est falsa, scilicet illa quæ designat ens incompletum, quæ non potest prædicari de ente completo. Et si ad hoc dicatur, quod non potest prædicari divisively bene tamen copulative, et conjunctim, hoc jam non est absolute, sed cum aliqua limitatione, et addito; de quo statim contra Vazquez, qui etiam concedit, quod divisively prædicantur.

XXXI. Secundo, probatur conclusio ad hominem contra Vazquez. Ipse concedit, quod Christus non est duo; ergo male affirmat, quod est aliud, et aliud. Patet consequentia, quia duo idem, est quod aliud et aliud: et aliud et aliud duo sunt; ergo non stat negare duo, et affirmare aliud, et aliud.

XXXII. Respondet Vazquez capite III citato, numero XIV, et in responsione duo involvit. Primum dictum est, quod duo solum identice possunt prædicari de Christo; at vero aliud et aliud formaliter, sicut formaliter prædicatur Deus et homo,